

## VI.

# Zwei Papsturkunden aus den Jahren 1428 und 1430 gegen die westfälischen Freigerichte.<sup>1)</sup>

Mitgeteilt von  
**M. Bingsheim.**



### I.

Papst Martin V. wendet sich gegen Missstände und Missbräuche der Beme und erteilt 24 süddeutschen Städten auf ihr Ersuchen Befreiung von den westfälischen Gerichten.  
Rom, 1824, Oktober 31.

In Nomine Domini. Amen. Universis et singulis presens publicum instrumentum sive transumptum inspecturis Ludovicus de Garsiis, decretorum doctor apostolice camere clericus ac reverendi patris domini Juliani de Cesarinis utriusque iuris doctoris domini nostri pape capellani et curie causarum camere apostolice generalis auditoris, in dicto auditoriatus officio locum tenens salutem in domino. Noveritis, quod discretus vir magister Mathias Satzitz, procurator et nomine procuratorio communitatum in infrascriptis litteris apostolicis descriptarum, quamdam litteras apostolicas sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia pape quinti de et super certis privilegiis et concessionibus dictis et infrascriptis communitatibus concessis eius vera bulla plumbea cum cordula canapis more romane curie impendente bullatas sanas et integras coram nobis iudicialiter exhibit et produxit petens humiliter a nobis, ut huiusmodi litteras apostolicas transumi et exemplari mandare dignaremur ad futuram rei memoriam ex auctoritate nostra ordinaria ita et taliter, ut ipsi transumpto possit ubique fides plenaria adhiberi sicuti dictis litteris originalibus, si in medium produceretur. Unde nos Ludovicus locum tenens prefatus

<sup>1)</sup> Friedr. Thudichum hat in seinem Werke „Temgericht und Inquisition“ S. 81, Anmerkung 2 den Wunsch nach vollständiger Veröffentlichung der Handschrift ausgesprochen, durch welche Papst Martin V. den schwäbischen Städten Befreiung von der Gerichtsherrlichkeit der Beme gewährte. Wenn sich aus dem Privileg auch kein neues Moment für die Beurteilung der Beziehungen zwischen Papsttum und Freigerichten ergibt, so ist es doch, wie auch das 2 Jahre später an Köln verliehene, für die Geschichte des Kampfes gegen die Beme nicht ohne Interesse.

huiusmodi petitioni favorabiliter annuentes volentesque in huiusmodi negotio rite procedere ad ipsius magistri Mathie instantiam et petitionem per nostras speciales litteras in audiencia publica litterarum contradictarum domini nostri pape debite executas citari fecimus omnes et singulos sua communiter vel divisim interesse pertinentes eorumque procuratores, si qui essent in romana curia pro eisdem, quatenus in certo eis statuto termino comparerent in iudicio coram nobis ad audiendum huiusmodi litteras apostolicas per nos tamquam iudicem ordinarium in romana curia transumi et exemplari et in publicam transumpti formam redigi mandare cum interpositione auctoritatis nostre ordinarie pariter et decreti ad dicendum et causam si quam haberent rationabilem, eur premissa fieri non deberent, alligandum, alioquin in predicto negotio procederemus, prout iustum foret, citatorum predictorum absentia seu contumacia in aliquo non obstantibus. In quoquidem termino comparuit in iudicio dictus magister Mathias et citatorum predictorum non comparentium contumaciam accusavit, petens ut ipsos contumaces reputari et in eorum contumaciam dictas litteras apostolicas transumi et exemplari ac in publicam formam redigi mandaremus, decretumque et auctoritatem iudiciorum dicte curie interponi per nos instanter postulavit. Nos tunc Ludovicus locum tenens prefatos dictos citatos non comparentes reputavimus merito, prout erant, exigente iustitia contumaces et in eorum contumaciam dictas litteras apostolicas ad manus nostras receperimus, vidimus, tenuimus, legimus palpavimus et diligenter inspeximus, reperimus sanas et integras non viciatas non cancellatas necque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes ipsas <sup>per</sup> Johannem notarium infra scriptum transumi et exemplari et in hanc publicam transumpti formam redigi mandavimus et fecimus volentes et auctoritate dicte curie decernentes, quod huic transumpto seu publico instrumento detur et adhibeat de cetero plena fides in iudicio et extra ac ubique locorum et terrarum, et (?) talis et tanta qualis et quanta ipsis litteris originalibus apostolicis data fuit et adhibita ac daretur et adhibetur, si in medium producerentur, quibus omnibus et singulis premissis tam rite et legitime factis et celebratis in eodem iudicio coram nobis nostram et dicte curie camere apostolice auctoritatem iudicariam interposuimus et tenore presentium interponimus pariter et decretum. Tenor vero dictarum litterarum apostolicarum de quibus supra fit mentio, sequitur et est talis: Martinus episcopus servus servorum, venerabilibus fratribus Augustensibus et Constantiensi episcopis ac dilecto filio decano ecclesiae Constantiensis salutem et apostolicam benedictionem. Hodie nostris concessimus litteris tenoris subsequentis Martinus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoris eterni, qui se pro dominice salvatione gregis in pretium immolare non abnuit, vices quamquam immeriti gerentes in terris: Eius instruimur monitis ducimur et exemplis, ut, pro quibus ad inmarcescibilem pertrahendis gloriam ipse languores humanos perpeti voluit, nos, quibus huiusmodi gregis curam et regimen universale commisit, Christifideles quoslibet ne gehenne comprimantur fauibus, quantum in nobis fuerit, ab erroris precipitiis eripere curemus et, quibus offenduntur illi, noxia, semo-

ventes, eorum statui et indemnitatibus oportune consulamus. Sane pro parte dilectorum filiorum communitatum nec non opidanorum habitatorum et incolarum in Ulma Esslingen Rutlingen Ravenspurg Rotwil Bibrach Pfullendorf Ysum Lebkirch Nordlingen Gemund Memmingen Dinkelspuel Kouffburon Kempten Giengen Aulun Boppfingen Wyl Rotemburg uff der tuber Constantiensis Augustensis Spirensis et Herbipolensis diocesum opidorum nec non dominiorum et districtuum eorundem nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ab olim detestabilis et abusiva animabusque et corporibus periculosa, si dici debeat, consuetudo in quibusdam Alamanie partibus irrepsit et invalescit, quod quotiens coram certis suis iudicibus reputatis actores super quibusvis rebus causis vel negociis alios eorum extimatione reos etiam de facto impetrerint, si actores ipsi etiam nullius super sibi vendicandis illis, que tunc exegerint, probationis exhibentes amminiculum reis eisdem duellum obtulerunt, nisi illud rei huiusmodi acceptent, eius se periculo submittentes, vel si in ipsis congressu duelli ex corporalium forsitan suarum defectu et dictorum actorum exuberantia virium seu alias casualiter prostrati aut devicti fuerint, iudices predicti non rationis iudicium, sed eiusdem duelli, qui sorti cedit, complectentes exitum ipsos reos in huiusmodi petitis condempnare presumunt. Sunt et alii presertim in provincia Coloniensi iudices habiti, qui plerosque ex huiusmodi opidanis habitatoribus et incolis extra dicta opida, in quibus tamen merum et mixtum exercetur imperium ac singulis ministratur, iusticie complementum, occasione etiam confictorum contra eos delictorum sive excessuum, ad comparendum coram ipsis nonnunquam ultra decem vel duodecim dietas ab inde distantibus citari faciunt et eos, si casu coram ipsis comparere distulerint, et etiam interdum alios coram eis non vocatos nullo iuris servato morti addicunt, omnium illorum bona publicantes diripique et distrahi facientes et, quos nonnunquam ex eis comprehendere possunt, in proximioribus, quas contingunt, arboribus laqueo suspendentes. Unde fit, ut validiores corporibus vacuique rebus et bonis de premissis eorum confidentes viribus et se absque iuris vel cuiusvis cause rationabilis presidio constituentes actores exquisitis fraude et modis alios senio et debilitate confectos substantiaque et rebus opimos coram dictis iudicibus citari facere et impetere non tremiscunt, ut taliter citati et qui propter notoria, que etiam actores ipsi, dictorum videlicet opidorum hostes et inimici, frequentius efficiunt, viarum discrimina, suarumque rerum et personarum pericula, coram eisdem iudicibus etiam procuratores desuper admittere recusantibus, personaliter comparere non audent, occasione non comparitionis huiusmodi contra eos sic intentatam causam perdant eiusdem condemnationis summam nequiter obvoluti. Vel, qui tenere complexionis divitesque et delicati sunt, comparentes ibidem et horrendi ipsius duelli finem non immerito formidantes, cum ipsis componere coguntur actoribus indebitas pro magnis pecuniarum quantitatibus vexationes aliquando redimentes, et insontibus etiam livoris, et invidie causa mortis miserabiliter exploratur interitus aliasque innumera dispendia et inconvenientia plerumque subsequuntur. Nos igitur attendentes, quod ex premissis, si veritate nitantur, peccatorum

utique, de quibus decernere et illa reprimere ad nos censura pertinet, incentiva fomentaque pretendunt, gravis divine maiestatis excitatur offensa et plurimorum evidens periculum succedit animarum, ac volentes super hiis, prout nobis ex debito pastoralis incumbit officii, salubrum (salubriter?) providere, ipsorum quoque communitatum opidanorum habitatorum et incolarum asserentium, quod alias super quibusvis eos contingentibus causis et negotiis in competenti foro iuri parere dispositi sunt, in hac parte supplicationibus inclinati consuetudinem predictam, quatenus etiam cum cuiusvis concessionis vel privilegii imperialis occasione processerit, veluti iuri et institutis canonicis obviam multorumque malorum et excidiorum productivam auctoritati apostolica penitus et omnino reprobamus viribus destituimus pariter et abolemus nec secundum eam quomodolibet a quibusvis procedendum iudicandum vel quidquam attemptandum fore illiusque pretextu nullum ex dictis communitatibus opidanis habitatoribus et incolis presentibus ac futuris ad comparendum coram iudicibus prefatis vel eorum aliquo teneri nec non omnes et singulos processus, condemnations et summas quos ipsius occasione consuetudinis a quoquam haberi vel promulgari contigerit, nullius efficacie aut firmitatis existere decernimus per presentes. Et insuper universis et singulis Christi fidelibus, cuiuscumque dignitatis sint, sub excommunicationis pena, quam alias ipso facto incurvant districtius inhibemus injungimus atque mandamus, ne pretextu consuetudinis huiusmodi et ut illa observetur, deinceps aliquem quovis quesito colore coram dictis iudicibus in causam trahere aut citari facere vel procurare seu iuxta consuetudinem ipsam iudicare quoquomo presumant, non obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reprobationis destitutionis abolitionis constitutioni inhibitionis injunctionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome apud sanctos apostolos pridie kalendas Novemboris pontificatus nostri anno undecimo. Cupientes igitur, ut littere ipse et earum effectus irrefragabiliter observantur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras predictas ac omnia in eis contentu, ubi et quando expedire videritis auctoritate apostolica solemniter publicantes ac eisdem communitatibus opidanis habitatoribus et incolis oportune defensionis auxilio super hiis assistentes non permittatis ipsorum vel eorum aliquem contra dictarum litterarum continentiam atque formam pretextu consuetudinis huiusmodi a quoquam impeti aliquatenus vel molestari. Et insuper omnes et singulos, quos pro eo, quod contra prohibitionem fecere, premissam excommunicationis sententiam huiusmodi vobis incurrisse constituerit, postquam super hoc pro parte illorum ex dictis communitatibus opidanis habitatoribus et incolis, quos contigerit, requisiti fueritis, tam diu in ecclesiis et locis singulis, de quibus vobis videbitur, excommunicatos publice nuncietis faciatisque ab aliis nunciari et ab omnibus artius evitari, donec ipsi excommunicati, singuli videlicet eorum, qui contra inhibitionem premissam deinceps quomodolibet

venire vel actemptare non debeant, singula corporaliter prestiterunt iuramenta et absolutionis a summa ipsa beneficium meruerint obtinere non obstantibus omnibus supra dictis ac pie memorie Bonifatii pape octavi predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dictam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, ac de duabus dietis in consilio generali et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque seu si aliquibus communiter vel divisim a dicta sancta sede indultum, quod interdici suspensi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo. Datum Rome apud sanatos apostolos pridie kalendas Novembbris pontificatus nostri anno undecimo.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras sive presens publicum instrumentum huiusmodi transumptum in se continentes sive continens exinde fieri et per notarium publicum infra scriptum subscribi et publicari sigillique dicte curie, quo utimur, fecimus appensione communiri. Datum et actum Rome in ecclesia Beate Marie rotunde pro audience causarum apostolica specialiter deputata nobis inibi mane hora causarum consueta, ad iura reddendum pro tribunali sedentes sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo vicesimo nono, inductione septima die vero Mercurii vicesima sexta mensis Januarii pontificatus prefati domini nostri pape Martini quinti anno duodecimo, presentibus ibidem discretis viris magistris Johanne Garvern Johanne Baliar et Johanne de Huesdin dicte curie causarum camere apostolice notariis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Ego Johannes Cabebe de Werda clericus Coloniensis diocesis publicus apostolica auctoritate ac causarum curie camere apostolice notarius, quid premissis omnibus et singulis, dum sic ut premittitur agerentur et fierent, una cum testibus prenotatis interfui eaque sic fieri vidi et audivi. Ideo hoc presens publicum transumpti instrumentum per alium me aliis occupato negotiis scriptum subscripti et publicavi signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum prefati domini Ludovici locum tenentis sigilli appensione de ipsis mandato signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Dupl. Jul. aud.

Original im Stadtarchiv Wsm, Nr. 683:140. Das Siegel ist von dem Pergamente entfernt.

## II.

**Papst Martin V. befreit die Stadt Köln von den westfälischen Freigerichten. Rom 1430 Mai 26.**

Martinus eps. servus servorum dei dilecto filio preposito ecclie beate Marie ad gradus Coloniensis salutem et apostolicam benedictionem. Gregis dominice superne dispositionis arbitrio licet immeriti curam gerentes, libenter circa fidelis populi tranquillitates et commoda vigilis speculatoris adhibemus officium et hiisque propterea provide gesta comperimus, ut apostolici muniminis circumfulta presidiis firmius persistant, quantum cum deo possumus efficaces. Sane pro parte dilectorum filiorum magistrorum civium Consulum et Communitatis Civitatis Coloniensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex Romanorum Illustrio Magistro civium et Consulibus predictis ceterisque civibus dictae Civitatis ac eidem Civitati, que ab antiquo perclare memorie Romanos Imperatores et Reges predecessores suos pre ceteris meruerat, singularibus libertatibus exemptionibus et immunitatibus preveniri beneficia accumulare eosque Regie liberalitatis et favoris gratieque potioris presidio sublimare volens, Magistro civium, Consulibus, Civibus et Civitati predictis motu proprio per suas litteras auctoritate Regia concessit et indulxit, quod ipsi Cives et quisquam ex eis ob quascunque causas personales reales civiles criminales meras vel mixtas non deberent extra Civitatem eandem presertim ad duellum aut ad Romani Regni, seu Imperii Curie vel Camere aut cuiusvis alterius iurisdictionis ordinarie vel delegate ubicumque etiam in certis locis tunc expressis aut ad provinciale seu diocesanum aut liberarum sedium in Westphalie et aliis partibus ubilibet constitutarum seu constituendarum vryestole sive Stillegerishte vulgariter nuncupatarum aliaque quecunque presentia et futura secularia iudicia per eosdem judges ad requisitionem cuiuscunq; dummodo Cives ipsos propterea requirenti seu contra eos conquerenti in dicta Civitate iustitia non denegaretur quibuscunq; statutis locorum generalibus vel particularibus factis seu faciendis nec non Constitutionibus qualitetcunque introductis et introducendis, privilegiis quoque gratiis et concessionibus ab ipso Sigismundo Rege seu predecessoribus suis Imperatoribus seu Regibus Romanis aut quoconque alio datis seu concessis seu dandis et concedendis, que quo ad hoc nullum penitus robur obtinere voluit nequam obstantibus deinceps citari et evocari non deberent decernens, nichilominus irritum et inane nulliusque roboris vel momenti quicquid contra concessionem et indultum ac libertatem huiusmodi a quoquam, cuius cunque dignitatis preminentie sive status foret, imposterum contingere attemptari, prout in dictis litteris plenius continetur. Quare pro parte Magistrorum civium consulum et communitatis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et indulto huiusmodi pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium quorumlibet tranquillitates et commoda studiis exquirimus

indefessis eosque in suis honoribus iuribus et libertatibus libenter confovemus, de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis et assumptis ad te duobus vel tribus in altero iurium doctoribus vel licentiatis litteras predictas omniaque et singula in eis contenta auctoritate nostra recenseas et examines diligenter et si per examinationem huiusmodi litteras ipsas sanas et illesas fore nilque in eis quod ecclesiastice libertati obviet aut in illis partibus scandalum generet contineri reppereris, super quibus tuam et illorum conscientias oneramus, concessionem indulatum et contenta huiusmodi eadem auctoritate nostra approbes et confirmes supplendo etiam omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Et nichilominus si confirmationem et approbationem huiusmodi per te vigore presentium fieri contigerit, Magistris civium consilibus et civibus predictis super hiis efficacis defensionis consilio assistens non permittas ippos aut quenquam ex eis per judices predictos aut quosvis alios contra litterarum earumdem continentiam atque formam quomodolibet impetri seu etiam molestarri contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.<sup>1)</sup>

Datum Rome apud Sanctos apostolos VII kl. Junii Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Nach dem Original in dem Stadtarchive zu Köln, Nr. 10, 697. Das an Hanfschnüren herabhängende päpstliche Bleiiegel ist unverfehrt.

<sup>1)</sup> Es folgt im Weiteren bis zur Datierung die bekannte Kanzleiformel, die in den päpstlichen Briefen und Bullen neuer Zeit häufig begegnet „non obstantibus Bonifatii VIII....“ wie sie in fast wörtlicher Übereinstimmung auch am Schlusse der Urkunde I gegeben ist.

